debuerant procedere ſine ipſis: quia ipſi app. apud nos interpoſitam contemnendo, reddiderant ſe indignos, & abuſi fuerant jure ſuo. Unde cùm in Lateran. Concilio de iis qui quaſdam perſonas inhibitas eligunt, ſit ſtatutum, ut eligendi tunc poteſtate privatos & ab Eccleſiaſticis Beneficiis triennio noverint ſe ſuſpenſos, illis pro longè majori delicto tamquam indignis ab Electionis poteſtate cadentibus, penes eumdem ac ſocios ſuos tantùm jus remanſerat eligendi: quare ſi multò pauciores in ipſum conveniſſent, intelligendum eſt tamen quòd omnes, qui tunc eligere poterant, elegerunt eumdem.]

[δ *Quemadmodum ex ipſorum ad nos directis literis comprobatur, qui ſecurè ad eumdem Legatum acceſſit, & ad propria remeavit, cùm & ipſe Legatus paratus fuerit ſecuritatem omnimodam providere. Nec obeſt quòd idem Nuntius dicitur appellaſſe, cùm appellationi renuntiaverit, & in commiſſione noſtra quam Pars reportavit utraque, obſtaculum fuiſſet appellationis amotum. Sed nec apparebat etiam quòd contra factum Legati aliquid poſſet objicere ac probare, cùm non Procurator ſufficiens, ſed ſimpliciter ad nos contra eumdem Archiepiſcopum fuiſſet Nuntius deſtinatus.*]

¶ Pith. [31] *Petentibus.*] Add. *Lupoldum.* Abb. Urſp. 332. Centur. 13. 1051. 753. Naucler. *vol.* 3. *gen.* 41. Trithem. *in Chron.* Hirſaug. 212. 219. Chron. Sclav. 178. Crant. *Metr.* 8. 21. Siffrid. 301. Centur. 13. 753. 1051. Magunt. Chron. 574. Urſpergenſ. 309.

XXIV. Idem Innocentius III. Clericis Sanctæ Agathes. [c. an. 1203. *Romæ.*]

Sufficit Electo ad obtinendum, docere Eligentem fuiſſe in quaſi poſſeſſione tempore Electionis, licèt non probet quòd proprietas juris eligendi ad illum pertineret.

[f] *Cap.* 9. *eod. tit. in* III. *Compil.* Et pro intellectu vide Matthæum de Afflictis *Deciſ.* 395.
[t] Celeſtinus.

QUerelam [f], quam G. tituli Sancti Vitalis Presbyter Cardin. per Œconomum Eccleſiæ veſtræ, cujus idem Cardin. eſt Gubernator, contra P. Presbyterum Eccleſiæ S. Salvatoris, ſuper Eccleſia ipſa propoſuit, C. Papa prædec. noſt. [t] nobis in minori officio conſtitutis, audiendam commiſit. Petebat igitur Œconomus præfatum P. ab Eccleſia Sancti Salvatoris (quam in præjudicium veſtræ Eccleſiæ, ac injuriam Cardinalis prædicti occupare præſumpſerat) removeri: cùm ipſa Eccleſia pertineat ad Eccleſiam Sanctæ Agathes pleno jure; petens penſionem xvi. denariorum Papien. debitam Eccleſiæ Sanctæ Agathes, pro eadem Eccleſia de Thermis, ſibi reſtitui, de novo ſubtractam. Prædictus verò P. reſpondebat, quòd ipſe nullam injuriam irrogaverat Cardinali: nec in præjudicium Eccleſiæ veſtræ receperat dictam Eccleſiam, cùm hæc ad illam nullo jure pertineat, nec aliquam ſibi debeat [u] reddere penſionem, ſed ipſe per Electionem populi, ad quem de antiqua conſuetudine [x] pertinet Electio [y], à Cardinali Sanctæ Suſannæ (cui eadem Eccleſia tamquam Capella ſuo titulo in ſpiritualibus eſt ſubjecta) canonicè fuerat inſtitutus. [*Et infrà* α.]

[u] *al.* debebat.
[x] Vide *l.* 2. & *ibi* Bart. *C. quæ ſit long. conſ. & in authent. hoc jus porrectum C. de ſac. Eccl.* Gloſ. *in l. rem non novam. C. de judiciis.*
[y] *Dictio*, Electio, *deeſt in antiquis cod.*

† Nos igitur rationibus utriuſque Partis auditis, dictum P. ab impetitione Œconomi veſtri ſuper Electione ac inſtitutione de ſe facta in Eccleſia Sancti Salvatoris abſolvimus, & ſuper his præfato Œconomo ſilentium duximus imponendum; cùm nobis conſtiterit, quòd Populus in quaſi poſſeſſione præſentandi Clericum exiſtebat, quando ipſum Presbyterum ad illam elegit: & Eccleſia eadem ſpectat ad titulum Sanctæ Suſannæ in ſpiritualibus pleno jure, ſalva quæſtione ſuper Jure Patronatûs inter Eccleſiam veſtram, & Populum ſæpedictæ Eccleſiæ Sancti Salvatoris. Quia verò fuit liquidò comprobatum, quòd penſio xvi. denariorum Papienſis monetæ, fuerit Clericis Eccleſiæ veſtræ, pro Eccleſia Sancti Salvatoris de Thermis [z], annuatim per multa tempora perſoluta, ſed de novo ſubtracta: nos in eumdem ſtatum percipiendi hujuſmodi de Eccleſia Sancti Salvatoris de Thermis, Eccleſiam veſtram decernimus reducendam: & ad ſolutionem penſionis ſubtractæ condemnamus Presbyterum antedictum, ſalva quæſtione proprietatis inter Eccleſias memoratas.

[z] *in quibuſdam antiquis*, de Terminis.

[α *Cúmque ad ſuam aſſertionem probandam utraque Pars teſtes multoties produxiſſet, nos illos recepimus & examinavimus diligenter, quorum depoſitionibus publicatis diſputationem audivimus ſuper illis: ſed antequam hujuſmodi controverſia finem accipere potuiſſet, præfatus Prædeceſſor noſter debitum carnis exolvit: demum verò à nobis utraque Pars cum inſtantia poſtulavit, ut cauſam ipſam decidere dignaremur.*]

XXV. Idem. [circa an. 1204. *Romæ.*]

Eligentes ſcienter indignum, privati ſunt poteſtate eligendi, in Electione quæ primò occurrit facienda.

[a] *Cap.* 10. *eod. tit. in* III. *Compil.*

CUm [a] Vvintonienſis Eccleſia Paſtore vacaret, Archidiaconus cum ſuis fautoribus Salubrienſ. [32] Decanum, Prior verò & complices ejus Præcentorem [33] Linconenſ. in Epiſcopum elegerunt. *Et infrà.* Licèt igitur omnes in communi de facienda Electione tractaverint: quia tamen nequiverunt eſſe concordes, infecto negotio ad nos habuere recurſum: & hi quidem qui Præcentorem elegerant, aſſerebant, quòd illi qui Decanum elegerant, eligendi erant poteſtate privati, pro illa maximè cauſa, quòd hominem non legitimè natum ſcienter eligere præſumpſerunt: unde ſecundùm Lateranenſe Concilium [b], & eligendi hac vice perdiderant poteſtatem, & per triennium Eccleſiaſticis Beneficiis carere debebant. Illi verò taliter reſpondebant, quòd licèt is quem elegerant, fuiſſet minùs legitimè natus, per gratiam tamen Apoſtolicæ Sedis legitimari promeruit: & hoc aſſerebant ſe legitimè probaturos. † Nos igitur attendentes, quòd iſti poſt primam [c] Electionem admiſerant illos ad celebrandam ſecundam: & quòd decretum memorati Concilii decrevit, hujuſmodi præſumptores una vice duntaxat eligendi poteſtate privatos [d]: quoniam Electio quam coram nobis celebrare voluerant, non jam ſecunda, ſed tertia concurrebat; ad eligendum illos cenſuimus admittendos.

[b] Sub Innoc. III. cap. 25.
[c] *In c. Barbatiæ ita: quòd iſti qui elegerant Præcentorem poſt primam, &c.*
[d] *Vide l.* 2. *cum not. per Bart. ff. de excuſ. mu. & l.* 2. *& l. ſervi. ff. de opt. leg.*

¶ Pith. [32] *Salubrienſem.*] Saleſberienſem. *Pariſ.* 595. 276.

[33] *Præcentorem.*] Guillelm. de Bleis, *Weſtmon.* 80. *Petr. de Rupibus* 81. *Weſtmon. Pariſ.* 283.

XXVI. Idem Abbati Ciſtercienſi R. & P. [34] Monachis Fontis Frigidi [e]. [c. an. 1205. *Romà in Galliam.*]

[e] *al.* Caſternien. & Fontis Frigidi Ap. S. L.

Eligens ſcienter indignum in Epiſcopum, eſt ob hoc ſuſpenſus à Beneficiis Eccleſiæ per triennium; nec poteſt interim ad Dignitatem illius eligi vel aſſumi.

[f] *Cap.* 11. *eod. tit. in* III. *Compil.*
[g] *al.* Toloſanenſi.

PEr inquiſitionem [f], quam de Mandato noſtro feciſtis ſuper ſtatu Epiſcopatûs & Epiſcopi Toloſani [g], perſpicaciter intelleximus, quòd Maſcaron Cancellarius juratus aſſeruit, ſe ſciviſſe pro certo, R. olim Toloſanum Epiſcopum & amicos ipſius, ante ſuam Electionem habuiſſe colloquium cum quibuſdam Canonicis nominatim expreſſis, eóſque ſollicitaſſe precibus, ut ipſum eligerent in Epiſcopum: ſéque vidiſſe pariter & audiviſſe, quando præfatus Epiſcopus recognovit in quorumdam Canonicorum præſentia, ſe Canonicis illis qui adverſati fuerant ſuæ primæ Electioni juraſſe, credens pro certo quòd juramentum illud illicitum fuit, & præſtitum, ut idem R. eligeretur ex pacto: & quòd idem [h] poſt Electionem ipſius [35] caſſatam, domum Epiſcopalem ejus nomine detinebat, recipiens quoſdam reditus & proventus, quos de ipſius conſcientia & conſenſu, in ejuſdem negotiis expendebat. † Cùm igitur talem ſcienter in Epiſcopum eligendo (ſicut ipſe ſuo juramento firmavit) Eccleſiaſticis Beneficiis reddiderit ſe indignum, grave gerimus & moleſtum, quòd Epiſcopus Convenarum electo idem Maſcaron in Præpoſitum dicitur ſubſtitutus. Quocirca mandamus, quatenus eumdem ab officio Præpoſituræ penitùs amoventes, faciatis virum idoneum ad Officium illud aſſumi.

[h] *ſcilicet* Maſcaron.

¶ Pith. [34] *R. & P.*] Roberto & Petro. *Hiſtor. Albigenſ.* 1. 6. *Chronic. Monſort.* 1206.

[35] *Ipſius.*] *Albigeoſ.* 19.

XXVII. Idem Priori Sancti Frigidiani [36] G. & G. [i] Canonicis Lucanenſibus. [c. an. 1205. *Romà in Etruriam.*]

[i] *al.* G. & G. B. & S. Can. &c. *al.* Idem A. Priori S. Fridiani G. & Lu.

Si non Profeſſus eligitur ad regimen Eccleſiæ Regularis, caſſatur Electio conſuetudine in contrarium non obſtante.

[k] *Cap.* 12. *eod. tit. in* III. *Compil.*

CUm cauſam [k], quæ inter Bonum Presbyterum & Brunum Canonicum Sancti Petri Lucanen. vertitur, ſuper eo quòd dictus Presbyter Bonus à majori parte Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ (prædicto B. & quodam alio contradicentibus) in Priorem (ſicut dicitur) eſt electus, olim vobis duximus committendam. [*Et infrà* α.] Quamvis autem multi Priores continuè [l] unus poſt alium, in ipſa Eccleſia per multa & longa tempora fuerint non Profeſſi; quia tamen præfatus Presbyter B. non eſt profeſſus obſervantiam regularem, dubitatis [m] (& meritò) nobis procedere inconſultis. † Quia igitur non debemus attendere ſolummodo quid factum ſit, ſed potiùs quid ſit faciendum: Conſultationi veſtræ taliter reſpondemus: quòd cùm ſecundùm Legem Divinam [n], non ſit in bove arandum & aſino: nec quiſquam debeat veſtem induere de lana linóque contextam: irritetis Electionem prædictam, & compellatis præfatum Presbyterum, aliósque Clericos non Profeſſos, ut vel Beati Auguſtini Regulam in eadem Eccleſia conſtitutam profiteantur, & ſervent, vel ipſam Eccleſiam omnino dimittant.

[l] Concord. text. *in l. ex facto. §. rerum. cum no. ff. de her. inſtit. & in l.* 1. *§. quotidiano. ff. de aqua quot. & æſtiva.*
[m] dubitaſtis.
[n] Deuter. 22.

[α *Vos, ſicut ex literis veſtris accepimus, Partes citare curaſtis, ut juxta Mandatum noſtrum cauſam ipſam fine poſſetis Canonico terminare. Cumque eſſent in veſtra præſentia conſtituta, dictus Presbyter Bonus cum inſtantia poſtulabat, ut Electionem de ſe factam autor. curaretis Ap. confirmare. Sed præfatus Brunus econtrario reſpondebat illum non eſſe dignum regimine Prioratûs, crimen objiciens ei ſimoniæ: quódque Electio ipſius non erat canonicè celebrata, & quia Profeſſus non erat, ipſum aſſerebat meritò repellendum. Verùm cùm de ſimonia nihil eſſet probatum, nec aliquid contra modum Electionis oſtenſum: movit vos vehementer ipſius Eccleſiæ privilegium, in quo continebatur expreſſum, ut nullus in ea qualibet ſubreptionis aſtutia præponatur in Priorem, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars conſilii ſanioris ſecundùm Dei timorem & Beati Auguſtini Regulam providerint eligendum.*]

¶ Pith. [36] *Frigidiani.*] Fridiani, Ordin. S. Antonii, Diœceſ. Luc.

XXVIII. Idem Innocentius III. J. tit. S. Stephani [37] in Celio Monte Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato. [c. an. 1205. *Romà in Hiberniam.*]

Nominatio vel appellatio ejus cujus non intereſt, Electionem non impedit: ſed ſi vocandus contemnitur, eo proſequente contemptum, caſſatur Electio etiam confirmata: & poteſt proſequi, niſi conſenſerit Electioni: quod poteſt etiam ex poſtfacto. H. d. uſque ad §. *ſuper eo.*

[o] *Cap.* 13. *eod. tit. in* III. *Compil.*
[p] 23. *diſt. can. in nomine Domini, & cap. qua fronte. infrà de appel.*
[q] Miridinenſis, Mondinen. Vintun.

QUod ſicut [o] ex literis tuis. [*Et infrà* α.] Verùm cùm ex prima Electione, quæ facta eſt de tribus, dicenda videtur potiùs nominatio, nihil juris acquiſitum fuerit nominatis, licitè procedi potuit ad Electionem regulariter celebrandam: præſertim in Eccleſia Armachana, cùm juxta Conſtitutiones Canonicas [p], ſi fieri poteſt, in Cathedrali Eccleſia Electio debeat celebrari. Nec appellatio interpoſita Electionem illam potuit impedire, cùm in ea nihil attentatum fuerit in præjudicium Regiæ dignitatis [38]: quia non ſimplex nominatio, ſed ſolennis Electio debet Principi præſentari, ut poſtulationi præſtet aſſenſum; etſi ſecus aliquando per uſurpationem aliqui faciant abuſivè. Si autem Miridien. [q] [39] Epiſcopus & Abbas Mellifontis, qui intereſſe debuerant, non contempti fuerunt, ſed ad Electionem vocati (ſi tamen ſine periculo potuerint convocari) ſive nequiverint, ſive noluerint ad Electionem celebrandam accedere, ipſorum abſentia non potuit Electionem impedire. [*Et infrà* β.] Quòd ſi eos vocatos non fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos, infirmanda erit penitùs Electio taliter celebrata, niſi poſteà propter bonum pacis curaverint conſentire. [*Et infrà* γ.]

Epiſcopus, dum celebratur Miſſa conſecrationis ſuæ, vel Archiepiſcopus ante receptum Pallium, Ordines conferre non debet. Hoc dicit uſque ad *verſic. Quòd autem.*

§. 1. Super eo autem, quòd in die conſecrationis ſuæ, antequam Miſſarum ſolennia finirentur, Acolythum ordinavit, pro tali exceſſu eum corripias & caſtiges: cùm ſolus Roman. Pontifex (qui ante Hymnum Angelicum conſecratur, & poſtmodum ipſe Miſſarum ſolennia incipit, & perficit conſecratus) in die conſecrationis ſuæ valeat Ordines celebrare. Ceteri verò, qui inter Epiſtolam & Evangelium conſecrantur, quia conſecrati concelebrant principaliter celebranti, ne dividatur myſterium unitatis [r], non debent tunc Ordines celebrare. Præterea cùm non liceat Archiepiſcopo ſine Pallio convocare Concilium, conficere Chriſma, dedicare Baſilicas, ordinare Clericos, & Epiſcopos conſecrare; multùm profectò præſumit, qui antequam impetret Pallium, Clericos ordinare feſtinat: cùm id non tamquam ſimplex Epiſcopus, ſed tamquam Archiepiſcopus facere videatur.

[r] veritatis, *ut eſt in uno manuſcr. Vaticanæ.*

Iſte verſ. non ſummatur, tum propter diverſitatem lecturarum, tum quia non facit ad titulum. Abb.

§. 2. Quòd autem tabulam argenteam dicitur vendidiſſe, dummodo Eccleſiam Armachanam reddat indemnem, æquanimiter poteris præterire, cùm id de Cleri & Populi proceſſerit voluntate.

[α *Nos igitur literarum tuarum tenore diligenter inſpecto, ſex in eis proſpeximus contineri, quorum tria contra præd. Armachanenſem Electum, & alia tria contra ejus Electionem facere videbantur. Primum, nominatio facta de tribus, quam in literis tuis aliquoties Electionem appellas, contra quam, ſi Electio verè fuit, antequam caſſaretur, non debuerat aliquid attentari. Secundum, appellatio interpoſita, quæ ſi legitima fuit, ſequentem Electionem jure penitùs impedivit. Tertium, quoniam Miden. Epiſcopus & Abbas Mellifontis, qui intereſſe debuerant, ad Electionem minimè convenerunt. Unde, ſi contempti fuerunt vel ambo vel alter, plùs eorum contemptus quàm multorum contradictio prædictam Electionem debuit impedire. Quartum, quòd præfatus Abbas ſic electus ante confirmationem obtentam adminiſtrare præſumpſit. Quintum, quia in die conſecrationis ſuæ Ordines celebravit, cùm nondum Pallium obtineret. Sextum, dilapidatio, quia tabulam argenteam alienare minimè formidavit.*]

[β *Quoniam ſi ad locum illum inter Hibernenſes non poterant ſecurè proficiſci, nec ceteri ad alium locum inter Anglicos tutè poterant convenire. Si itaque eos vocatos eſſe conſtiterit, ſi vocari abſque periculo potuerunt, & illos noluiſſe vel non potuiſſe ad Electionem celebrandam venire, Electio non debet irritari.*]

[γ *Ceterùm, cùm antequam tu ad partes Hibernicas perveniſſes, illa fuit Electio celebrata, & Electus ipſe ſtatim cœperit miniſtrare; tu ſatis id potes ſub diſſimulatione tranſire, cùm id, ſicut noſti* [40], *de Metropolitanis Angliæ, & Franciæ, & Alemaniæ & aliarum partium remotarum, qui concorditer ſunt electi, Rom. Sed. patiatur* [41] *Eccleſiarum utilitate penſata: quia ſi tanto tempore, quouſque poſſet Electus* [42] *confirmationem cum Pallio à Se. Ap. obtinere, Regalia non reciperet, Eccleſia, quæ interim adminiſtratione careret, non modicum incurreret detrimentum.*]

¶ Pith. [37] *J. tit. Sancti Stephani, &c.*] Joannes de Fordun *de Geſt. Scotor.* ann. 1201. Joannes Presbyter Cardinalis ad titulum Sancti Stephani in Celio Monte venit Legatus in Scotiam, & menſe Decembri per triduum tenuit Conſilium apud Pertho: in quo Conſilio amoti ſunt ab officio altaris, qui die Dominico Ordinem Sacerdotalem ſuſceperant. Paulò pòſt idem Legatus tranſiens de Scotia in Hiberniam, duxit ſecum Radulphum Abbatem de Melroſſ. qui factus eſt in Hibernia Epiſcopus Dunenſis. *Weſtmon.* 84. *Dol. Cent.* 13. *c.* 97. *Append. Matth. Par.* 297.

[38] *In præjudicium Regiæ dignitatis.*] Ivo Carnotenſis Epiſt. 65.

[39] *Miridien.*] *Mindenſis*, 160.

[40] *Cùm id ſicut noſti, &c.*] *Regale.*

[41] *Patiatur.*] Sic V.

[42] *Quouſque poſſet electus, &c.*] *Regale.*

XXIX. Idem [43] Tolet. [ſ] [44] Epiſcopo & Sagon. [t] & de Arden. Abbatibus. [c. an. 1205. *Romà in Galliam.*]

[ſ] *al.* Dolen. *al.* Dolon.
[t] Sanigneo. *al.* Sanguineo.

Electio per minorem partem Capituli facta non tenet, nec per ſubſequentem conſenſum ratificari poteſt. Hoc dicit ſecundùm communem intellectum.

[u] *Cap.* 14. *eod. tit. in* III. *Compil.*
[x] Innocent. ait ita fuiſſe *in Regiſtro:* unam de R. Archid. & alteram de Magiſtro R. Subdiac.
[y] Aldegiis. *al.* Allegiis.

AUditis [u] & intellectis meritis cauſæ de duabus Electionibus celebratis in Eccleſia Bajocen. unam de G. Archidiac. & alteram de R. Subdiacono [x], invenimus utramque contra formam Canonicam attentatam. Cùm enim inquiſitis voluntatibus ſingulorum Decanus cum paucioribus in ipſum R. & Cantor cum pluribus in dictum G. Archidiaconum conveniſſent: ſolo Cantore poſtmodum quemdam alium, videlicet Magiſtrum R. de Algediis [y] nominante, ad noſtram fuit Audient. appellatum. ne Decanus qui primam in Electione vocem habebat, ad Electionem procederet ſine conſenſu totius Capituli, vel majoris & ſanioris partis ipſius. Ipſe verò Decanus non habito conſenſu majoris partis Capituli, ſed longè minoris, ſubitò in Electionem prorupit, appellans ne quis contra ipſam aliquid attentaret: quamvis aſſeveret, quòd Electioni factæ plures alii conſenſerunt: cùm tamen ex poſtfacto nequiverit convaleſcere, quod ab initio non valebat: quoniam Electio quæ fuerat irrita ipſo jure, per ſubſequentem conſenſum, maximè appellatione pendente, non poterat eſſe rata. Eis ergo ad propria recedentibus [z], Cantor & alii qui remanſerant in Capitulo, poſt illam Electionem nondum caſſatam, & appellationem ad nos interpoſitam, à nominatione dicti Archidiaconi recedentes, de novo præfatum Subdiaconum eligere præſumpſerunt. † Nos igitur Electionem utramque duximus irritandam.

[z] *In cod. Barbatiæ*, redeuntibus ſcilicet ad domum propriam.

¶ Pith. [43] *Idem.*] De Ardenna Abbas Ordinis Præmonſtrat. Baiocenſ.

[44] *Tolet.*] *V.* Dolen. Epiſcopo & de Ango & de Ardenna Abbatib. *V.* Idem Dolen. Epiſc. & Sanigeo & de Ardenna Abbatib. Rotomag. Diœceſ. Ordin. S. Auguſtin.

XXX. Idem [a] Grandis Silvæ [45], & Bellæ Perticæ [46] Abbatibus. [circ. ann. 1205. *Romà in Galliam.*]

[a] Idem Epiſcopo Convenarum & Grandis Silvæ, &c. *aliàs* Epiſcopo & Grandis Silvæ, &c. *al.* Cadurcenſi.

Poteſtas data Compromiſſariis ad eligendum Prælatum, re non integra revocari non poteſt: & definit res eſſe integra poſtquam Compromiſſarii cœperunt habere tractatum.

[b] *Cap.* 15. *eod. tit. in* III. *Compil.*
[c] Iſte text. reputatur ſing. per Pānor. hoc in ſuo effectu.
[d] qualibet, *in antiquis.*

IN cauſis: [*Et infrà* α.] Cùm Capitulum [b] Toloſan. Eccleſiæ ad tractandum de Electione Epiſcopi conveniſſent, duos elegerunt ut V. de eodem Capitulo eligerent Electores [c], qui præſtito juramento de ſubſtituendi Pontificis Electione tractarent: & à ſingulis de Capitulo ſtatutum eſt & conceſſum, ut ille, quem illi concorditer, vel tres ex illis eligerent, ab eis (ſi perſona eſſet idonea) pro Epiſcopo ſine contradictione aliqua [d] haberetur: [*Et infrà* β.] Poſtmodum verò cùm à prædictis duobus V. Electores electi fuiſſent, & ad tractandum de Electione ſeceſſiſſent in partem, & non poſſent omnes in unam pariter concordare perſonam, tres ex eis convenerunt in Epiſcopum Convenarum; & deinde Electionem, quam de poſtulando Epiſcopo fecerant, Capitulo publicarunt: ac reliqui duo ſubſequenter tertia die cum paucis de Capitulo, reliquis abſentibus, elegerunt Archidiaconum Agennenſem. [*Et infrà* γ.] Nuntii verò prædicti Archidiaconi è contrario reſponderunt, quòd cùm prædicti V. Electores ſeorſum de Electione tractantes, inter ſe diſſiderent, ita quòd contentioſæ voces eorum, à Fratribus qui remanſerant in Capitulo, auditæ fuiſſent, Capitulum ipſos propter hujuſmodi contentiones ſuſpectos habentes, ad eos duos de Canonicis deſtinarunt, per quos inhibuerunt eis ex parte noſtra, ne ulteriùs in facto procederent: & ita poteſtatem eligendi, quam eis commiſerant, revocarunt; mandantes eis ut redirent ad Capitulum, & pariter cùm aliis Fratribus de Electione tractarent: & hujuſmodi revocationi duo ex ipſis Electoribus adhibentes conſenſum, reliquis tribus non contradicentibus, ad ipſum Capitulum ſunt reverſi: ſed alii tres, uſque ad fores Capituli ſubſecuti, ab eis poſtmodum diſceſſerunt. Capitulum verò cùm tota die illa ipſorum præſentiam expectaſſent, ſubſequenti die campanam pulſari fecerunt, ſicut moris eſt, ad Capitulum congregandum [e]: & prædictis tribus cum paucis complicibus ſuis ſeſe contumaciter abſentantibus, Prior cum majori & ſaniori parte Capituli, elegit in Epiſcopum Archidiaconum ſupradictum. [*Et infrà* δ.] † Quia verò poſtulatio de Epiſcopo Convenarum, quæ præceſſerat, facta erat per eos, in quos totum Capitulum eligendi tranſtulerat poteſtatem, propter quod unanimiter de conſenſu totius Capituli intelligitur eſſe facta, quam (cùm res non

[e] *l. fin. C. de præd. dec. lib.* 10.